



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

XVII. Argumentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

uero, tamen dilectio non est causa seu meritum remissionis peccatorum, seu iustificationis, seu reconciliationis. Vt, verissime est: Qui non mouetur, non uiuit, nec ramen sequitur, motum carnis esse uitam, sed uita est immediata causa motus: Ita fides a gratuita misericordiam Dei propositam propter mediatorem, ostendit bonitatem Dei, qua cognita accenditur dilectio Dei, & cor subijcit se Deo. Hæc responsio ad similia dicta congruit. Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Concedo totum. Quia uerum est, oportere in reconciliato fidem & dilectionem esse, sed nõ sequitur, dilectionem esse causam seu meritum reconciliationis.

## XVI. ARGUMENTVM.

Naturalia sunt immutabilia,

Dubitatio de reconciliatio est naturalis, ut nati quidem nascimur,

Ergo est immutabilis.

RESPONDEO. Concedo esse immutabilem in hac deputatione, sine uoce Euangelij & sine auxilio diuino, sicut Adam non solum in dubitatione mansisset, sed etiam oppressus esset ætæna desperatione, si promissio gratiæ non prolata esset ex sinu uentris patris, & per uerbum Deus flexisset cor Spiritu sancto ad ascensionem, & sic in illa consolatione filius uoce Euangelij primos parentes retraxisset ex morte. Hoc exemplum intueamur, quod ostendit quomodo fiat hæc consolatio & liberatio à dubitatione, & docet promissionem Euangelij non esse natura notam, & discernendam esse à lege & ab alijs naturalibus noticijs.

## XVII. ARGUMENTVM.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,

Ergo propter dilectionem fit remissio.

RESPONDEO. Duplex est Absolutio. Altera priuata conscientiæ luctantis cum ira Dei. In hac absoluteione necesse est intelligi, quod fide accipiatur remissio, non propter nostras uirtutes. Ita & hic inquit Dominus: Fides tua saluam te fecit. Nec nititur fides dilectione nostra, sed tantum misericordia promissa propter meditationem. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio. Hoc pertinet dictum: Hæc omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod uos fieri per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Alia est absolutio publica coram Ecclesia. In hac conspici nec esse est ab illis testimonio conuersionis, ut hic Christus Phariseo ostendit, ut eam recipiat, quia extant testimonia conuersionis. Si cuius absolutio non placet, utatur altera: Vstratæ sunt Synedochæ, Remittuntur ei multa, quia conuersa est. Et tamen synecdoche explicanda est. Cum multæ sint partes conuersionis, contritio, fides, dilectio, spes,

num propositum, tamen sciendum est, dari remissionem, non propter dignitatem harum virtutum, sed propter mediatorem. Hæc de-  
claratio su nitur ex Paulo dimicante de particula gratis fide propter  
mediatorem.

## XVIII. ARGUMENTUM.

Vita æterna nominatur merces,  
Ergo est debita pro operibus.

RESPONDEO breuissimè. Phrasis nota est, mercedem dici  
non tantum compensationem debitam, sed fructum qui sequitur. De-  
inde verum est, vitam æternam etiam si propter aliud datur, tamen et-  
iam esse mercedem, quia compensat benefacta, ut patrimonium est  
merces officiorum filij, etiam si accipitur propter aliam causam.

Considerandum & hoc est. Sæpe videntur Prophetæ phrasi legis,  
vbi tamen interpretatio ex Euangelio sumenda est. Vt, Reddit vni-  
usq; secundum opera sua, vbi tota conuersio intelligitur, & tamen  
sciendum est, fide primum gratis reconciliationem accipi, postea pla-  
cere Deo fidem & incoatam obædientiam. Et piæ mentes semper so-  
lare decet dictum Iacob: Minor sum cunctis miserationibus tuis.

## XIX. ARGUMENTUM.

Iacobi 2. Videtis igitur, quod ex operibus iustificatur homo,  
non fide tantum.

RESPONDEO. Manifestum est in Iacobo fide tantum intelli-  
gentiam historiæ, de qua noticia dicit: Dæmones credunt & contre-  
munt. Fatemur autem, neminem esse iustum sola illa noticia, sed  
Paulus loquitur de fide, quæ est agnitio & fiducia misericordiæ, quæ  
pacem affert cordibus, ut inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et  
discrimen in vera conuersione intelligitur, in qua fides vincit veros  
paiores, & est motus Spiritus sancti, quo corda viuificantur, & accen-  
ditur vera inuocatio, qua clamamus. Abba pater, ut dicitur in Zacha-  
ria: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Non  
igitur pugnat Iacobus cum Paulo, sed de alia re loquitur. De-  
inde cum ait: Ex operibus iustificamur, phrasis intelligenda est.  
Non enim hic iustificari est reconciliari, sed postea habentes bona  
opera iustificantur, id est, approbantur, habentes iusticiam operum,  
quæ in reconciliariis iam placent Deo.

## XX. ARGUMENTUM.

Iustificare est ex iniusto iustum facere,  
Iustus est habens iusticiam, id est, obædientiam integram, seu  
conformitatem cum Deo,  
Ergo non sola fide iustificamur.

RESPONDEO ad Maiorem. Iustificare iuxta doctrinam Euan-  
gelij primum est ex reo non reum facere. Nam hoc agitur in veris  
A 2 dolori-